

T. Fredbänj

THESES
MEDICÆ

QUAS
CONSENSU EXPERIENT. FACULT. MEDICÆ
IN REGIA ACADEMIA UPSALIENSI,
PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO ET EXPERIENTISSIMO,

DN. DOCT. CAROLO
LINNÆO,

EQVITE AURATO DE STELLA POLARI,
S:Æ REG. M:TIS ARCHIATRO,
MED. ET BOTAN. PROFESSORE REG. ET ORD.
ACAD. UPS. HOLMIENS. PETROPOL. BEROL.
IMPERIAL. LONDIN. MONSPEL. TOLOS.
FLORENT. SOCIO.

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN MEDICINA PRIVILEGIIS
MORE MAJORUM OBTINENDIS,
PUBLICO SUBMITTET EXAMINI

JO. CHRIST. DAN. SCHREBER
THURINGUS.

IN AUDIT. CAR. MAJ. AD DIEM XIV. JUNII
ANNI MDCCLX.

H. A. & P. M. S.

UPSALIAE.



D. D.

§. I.

Plantæ numerosissimæ, quibus obvestit globum terraqueum Deus O. M. sunt totidem documenta infinitæ sapientiæ, natæ in gloriam sui Creatoris, & in commodum hominis, cujus est eas intueri.

§. II.

Plantæ constant medullari & corticali substantia; in illa earum vita consistit, in hac vero sustentationis organa.

§. III.

Medullaris substantia, continuata a primordio rerum, maxime multiplicabilis, novas constituit plantas in gemmis seu ramis, & in seminibus.

§. IV.

Subeunt plantæ metamorphosin uti insecta, deficiente substantia corticali & prodeunte medullari. Exterior itaque planta larva dicenda est, fructificatio vero planta nuda, interior & perfecta.

§. V.

Fructificationes in multis plantis adeo conformes

mes deprehenduntur, ut vix ovum ovo similis occurrat, exceptis accidentalibus, colore scilicet, magnitudine, similibusque; & hoc quidem, ubi planta exterior foliis & reliquis partibus externis ab altera diversissima crederetur.

§. VI.

Cum itaque ex nuper observatis constet, plantas produci hybridas, & exteriori facie diversissimas, dum fecundata fuerit mater ab aliena planta; verosimile videtur, adeo similes fructificatione plantas, externa structura licet diversas, ab una eademque planta olim prognatas esse; sed utrum hæ temporis filiae sint dicendæ, an ab ipso Creatore in primordio mixtæ sint, ferus docebit dies. Interim has ipsas fructificatione adeo similes plantas vocarunt Botanici Species ejusdem generis.

§. VII.

Cum sic ab una eademque prognatæ species sint, & vitam earum constituat medullaris substantia, quæ modificat ipsam plantam; non mirum est, quod qualitatibus & virtute conveniant, uti hoc varii observarunt Botanici & Medici.

§. VIII.

Qualitates plantarum manifestantur imprimis sapore & odore; quas ut dignoscerent animalia, Deus instruxit ea olfactu & gustu, ne quidquam intraret clanculum corpora istorum, & noxam ipsis adferret.

§. IX.

Sapida in fibras & humores corporis agere evidenter.

dentissimum est, & pulcherrime demonstratum theoria & observationibus Medicorum mechanicorum; uti etiam, olida agere in systema nervosum, plurimis exemplis non dudum evictum est.

§. X.

Odorem in plantis hybridis sæpius mutari & a matre alienum evadere, nobis videtur constare ex plantis variis foliis crispis.

§. XI.

Saporem constantiorem esse in speciebus congeneribus, patet innumeris exemplis; licet hic debilior aut fortior in diversis observetur.

§. XII.

Dum itaque Medici argumentantur ex fructificatione ad plantarum vires, attendant simul ad qualitates, quæ inprimis variant circa volatilia.



§. XIII.

Cum variæ plantæ corrosivæ simul qualitatibus sapidis & olidis gaudeant; non sufficiunt solæ qualitates saporis & odoris, nisi simul in subsidium vocetur generica plantarum adfinitas; ut patet ex Contortis, Tricoccis, Lactescentibus, &c.

§. XIV.

Qualitates contrarias in plantis dari, ex acido & amaro, ex acri & viscido, ex pingui & styptico, ex aquoso & sicco constat, uti etiam ex tetricis & aromaticis. Videtur itaque alienum a scopo medico, qualitatibus diversas miscere.

S. D. G.



Dr. FREDBÄRJ